

465.

1259 d. 7 Mars.

Anagni.

Påfv. ALEXANDER IV:s Bref om 100 dagars aflat för dem, som besöka Upsala Domkyrka på S:t Laurentii dag och 40 dagars aflat på 8 derpå följande dagar.

B. 2: 211.

*Indulgencie vpsalensis ecclesie centum dies in die sancti laurencii XL & infra octauas in perpetuum.*

ALEXANDER &c. lika med föregående N:o 433 till Cum igitur sicut petitio vestra nobis exhibita continebat ad ecclesiam uestram que in honore beati Laurencii est constructa in festo ipsius ob deuocionem que habetur ad eum magna confluat populi multitudo, nos cupientes, vt eadem ecclesia congruis honoribus frequentetur, et vt christi fideles adeuntes illam celestis dono gracie gaudeant se refectos, omnibus vere penitentibus & confessis, qui dictam ecclesiam in eodem festo annuatim venerabiliter visitarint, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, Centum dies, illuc uero infra octauas eiusdem festi cum deuocione accendentibus XL dies de iniunctis sibi penitenciis misericorditer relaxamus. Datum Anagnie in Nonis Martii pontificatus nostri anno quinto.

466.

1259 d. 28 Mars.

Anagni.

Påfv. ALEXANDER IV:s Bulla, hvari han förklrarar dem, som göra inbrott i Presthus och kyrkor, såsom bannlyste.

A. 1. d. 54. \*)

ALEXANDER episcopus seruus seruorum dei. venerabilibus fratribus archiepiscopo vpsalensi eiusque suffraganeis ac dilectis filiis prelatis ecclesiarum prouincie vpsalensis salutem & apostolicam benedictionem. justis petencium disideriis dignum est nos facilem prebere consensum & vota que a rationis tramite non discordant effectum prosequente complere. Cum igitur sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis bone memorie g. sabicensis episcopus tunc in illis partibus apostolice sedis legatus duxerit statuendum. vt quicumque in domibus sacerdotum & ecclesiarum prouincie vpsalensis occasione hospitalitatis hostia ipsarum domorum frangere seu aliam violenciam inferre presumeret excommunicacionis sentenciam incurreret ipso facto. Nos vestris supplicacionibus inclinati statutum huiusmodi sicut prouide factum est ratum habentes & gratum illud auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostre confirmationis &c. Datum anagnie quinto Kal. aprilis pontificatus nostri anno quinto.

\*) Detta bref finnes i en af Ärke-Bisk. OLOF i Upsala d. 31 Aug. 1319, vidimerad afskrift.